



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Augustini Barbosa ... Collectanea doctorum tam
veterum, quam recentiorum, in ius pontificium universum**

In Qvo Dvo Priores Decretalium Libri Continentvr

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1669

30. De officio Legati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95263)

carij, lib. 2. g. 34. n. 4. At verò quando Episcopo committitur dispensatio requirens causæ cognitionem, vel habens eam illi annexam, poterit alij dispensationes demandare, quia propter causæ cognitionem annexam Episcopus censetur non nudus minister, nec aliàs constat quod sit electa industria personæ, & ideo non prohibetur per alium desertire, Rot. d. decis. 8. Sbroz. d. g. 34. n. 3. & 5.

17 *Quia non sibi iurisdiclio, &c.* In terminis huius text. dubitari non abs re poterit, an sub executores gratiarum, & literarum Apost. qui ab executore Romano ad executionem in partibus faciendam frequenter subdelegantur per clausulam illam, seu §. *alterum*, qui ad finem executorialium adijci solet, nudi tantum & meri facti sint executores, vel iurisdictionem obtineant aliquam? In qua quæst. Nam. in cap. *eum contingat*, de rescript. secunda causa nulli, distinguit inter subexecutores quoad ea, quæ sunt iurisdictionis, & in quibus illi partes iudicis assumere debent, de quibus in priori parte illius claus. *alterum*, ubi de Abbatibus, & aliis in dignitate constitutis fit mentio, & inter subexecutores quoad ea, quæ sunt meri facti, in quibus partes iudicis non licet assumere, de quibus in posteriori parte illius clausula, ubi de simplicibus Clericis in minoribus constitutis, & etiam de notariis agitur. Sed hæc distinctio non satisfacit in proposito, siquidem id est quod quaeritur, an huiusmodi subexecutores ad eos, qui iurisdictionis sunt, subdelegantur, & iudicis partes assumere possint; deinde quia cum in his terminis una & eadem sit commissio, ab uno & eodem Romano executore ad unum & eundem effectum emanata, non occurrit ratio aut coniectura aliqua suadens illam debere diuidi, & diverso iure ceteri, ita ut prior pars ad iurisdictionem, posterior ad merum factum referatur, iuxta l. *eum qui ff. de usucap. cap. cum in tua 30. vers. & non debeat*, de decim. id quod secus est in speciebus relatis à Navar. ro, in quibus materia subiecta, ratio, aut mens disponentis diversitatem arguit: insuper iuxta sententiam Nam. & distinctionem supradictam esset in potestate & voluntate illius pro quo gratia exequenda emanavit, vel iudicem, vel merum facti executorem assumere, quo magis alium gravaret, quod videtur absurdum. Vnde probabilius est, nisi aliud ex ipsa clausula, vel aliunde expressè, aut tacite colligatur, huiusmodi subexecutores ad meri tantum facti, & ministerij nudi executores deputari, tum quia illis in totum conveniunt ea, quæ de mero facti executore notantur; tum etiam quia iuxta verba & mentem illius clausula subexecutores tantummodo deputantur ad ea, quæ Romanus executor in remotis agens per se ipsum exequi non potest, cuiusmodi sunt ea, quæ in mero facto, & nudo ministerio consistunt. Deinde subexecutores exequuntur per censuras fulminatas ab executore Romano, quas illi in partibus denuntiant, id, quod meri facti est, iuxta hunc text. secundum verò intellectum c. *novit*. 4. 3. *ibi*, non edidit, sed publicavit, &c. de appellat. Accedit, quia si executor aliquando iudicis partes assumere posset, nusquam (praesertim ab inferiore) delegaretur generaliter & incertis ad arbitrium & electionem impetrantis, pro quo gratia emanavit, contra reg. c. *ad hæc*, de rescript. id quod secus est in mero facti executore, qui cum non iudicet, nec aliquid ex suo arbitrio faciat, ad certum qui ab alio praefinitum exequatur tanquam illius instrumentum, neminem gravat, d. c. *novit*, & praeterea quicunque generaliter deputari potest, quicquid aliter opinentur Staphil. de literis gratiae, tit. de formis mandatorum, vers. ult. n. 6. Gom. de mandatis de providendo, v. 36.

In gloss. *Commisum*, ibi, Coëctionem tamen videtur habere, &c. Quicquid velit gloss. & distinguat Vincent. hic, cuius distinctionem sequitur Sicul. num. 14. & satis æquum dicunt Zabarell. Abb. & alij in praesenti, verius videtur merum facti executorem, cui nudum ministerium exequendum committitur, non posse coercere eos, qui resistunt, aut sunt impedimento executioni, sed recurrendum esse ad legitimum superiorem, iuxta iuris regulas, observant Ioan. Andr. Cardin. Abb. & DD. communiter in praesenti, & in cap. ex literis, supra hoc tit. ubi Abb. numero 4. idem Abb. in cap. de cetero n. 3. de re iudic. Et suadet, quia iuxta hunc text. huiusmodi merus executor nullam omnino habet iurisdictionem, cui isthæc coercendi potestas adherere debeat, iuxta l. *ultim. in fine*, ff. de officio eius; & d. cap. ex literis, ibi, Cum huiusmodi; qui text. in vers. *ex qua*, quem hæc glossa expendere videtur, non obstat, quia secundum praedictos non agit de mero facti executore, sed de executore iuris, cui iurisdiclio in causa executionis demandatur, ut patet ex litera ibi, iurisdictionem, & ibi *quam*, (scilicet iurisdictionem) potuerunt, &c. iunctis verbis sequentibus, ibi, ex qua (scilicet iurisdictione) coëctionem, &c. & in vers. *cum huiusmodi*; & de hoc executore intelligenda est gloss. 1. ibi, *quam* Abb. & alij tanquam huiusmodi de mero facti executore intelligunt. Sic similiter non de facti, sed de iure executore mero intelligitur text. in c. *significasti* 7. in fine, ubi gloss. pen. sup. hoc tit. secundum omnes, ibi, & Bellam. n. 29. Alexand. in c. *sicut* 2. g. 1. ubi contra gloss. *hic*, cum supra citatis defendit communem, nisi ex ipsa commissionis forma aliud colligatur.



De Officio Legati.

TIT. XXX.

S V M M A R I V M.

- 1 Doctores referuntur super rubr. scribentes.
- 2 Legatorum de officio & potestate agentes citantur.
- 3 Legatus non habet successorem.
- 4 Legationis officium antiquissimo usu Ecclesia est comprobatus.
- 5 Legati triplici sunt differentia, alius est natus, alius missus dicitur, alius Legatus de Latere appellatur.
- 6 Legati omnes in suis provinciis non delegatam, sed ordinariam iurisdictionem exercent.
- 7 Legationis officium in legatis de Latere non quidem maius quam in aliis, sed tantummodo plenum existit, sicut fuit in sua natura in qua permanet.
- 8 Declaratur text. in cap. *literas*, de suppl. neglig. Pralar.



UPER hanc rubr. scripserunt Bellam. Ioan. Andr. Imola, Anania, Panorm. Bntr. Zabarell. Barbat. Bald. Dec. Guid. Papæ, Alex. de Neco, Didac. Sahag. Guillelm. Durand. in *breuiario iuris Canonum*, fol. 33. Ioan. de Londris in *breuiario sanctorum Canonum*, fol. 165. Petr. de Rauenna in *compendio iuris Canonum*, Martin. Mesnart. in *epitome Decretalium*, fol. 34. Dan. Venator. in *analysis method. iuris Pontif.* pag. 98. Goffred. & Host. in *summa huius tit.* Alex. Cassan. & Anast. Germon. in *paratilis ad quinque libros Decretalium*.

talium, Barthol. Carth. in *exposit. titulum iur. Canon.* Zype. in *analytica postremi iuris Ecclesiast.* enarrat. pag. 86. nouissime Ioan. Honor. lib. 1. *summ. in Decret.* omnes *sub hoc tit.*

2 De officio, & potestate Legati Apostol. tractant ex professo Nicol. Boer. & Andr. Barbat. in *part. tractatibus*, & Zech. de *Republ. Ecclesi.* tit. de *statu Illustr. Legati*, Canif. in *sum iuris Canon.* tit. 17. de *officio Legati*, Erasim. à Cochier. de *iurisd. Ordin. in exempro*, p. 2. q. 2. Gregor. lib. 2. tit. 9. p. 1. Zerol. in *praxi Episcop.* p. 2. verbo, *Legati Apost.* Azor. in *lit. moral.* p. 2. lib. 2. c. 27. Fr. Emman. *quaest. Regul. tom. 2. q. vlt. art. vlt.* Henric. in *sum. p. 2. lib. 14. c. 24. §. 2.* ubi etiam refert quod Princeps Monarchia Siciliae dicitur Legatus natus, Sebast. Caes. de *Ecclesiast. hierarch. part. 1. disp. 3. de Legatis*, & ex professo de officio, & potestate Legati de Latere agunt Gondifalu. Villadieg. & Ioan. Brun. *rom. 13. tract. Doctorum*, p. 2. fol. 133. & Andreas Gambarus.

3 Illud in praesentiarum singulare est quod Legatus non habet successorem, & Papa non potest cogi alium Legatum facere; quando verò locus legationis est certus, & consuetum est in eo esse Legatos, causa viii Legato commissa poterit cognosci per successorem, vt per Steph. Grat. *discept. forens. c. 92. n. 13. cum seqq.*

4 Legationis officium antiquissimo vsu Ecclesiae esse comprobatur probat text. *n. c. 1. & 2. 84. dist. 8. in c. decreto 1. c. 6.* Probatur ratione, etenim cum proprium Romani Pont. munus sit omnibus Ecclesiis pastoralis officio consulere, iuxta text. *in c. cum instantia*, de *const.* & propter Ecclesiarum negotia peragenda multoties illius praesentia desideretur, rectè constitutum fuit vt ipse Pont. qui alias omnibus Ecclesiis personaliter interesse non poterat, selectissimos viros opere, & sermone potentes ad easdem Ecclesias Legatos mitteret, qui tanquam Pontificis Vicarij Legationis officium exercentes facerent, illaque ad spiritualem utilitatem expedirent.

5 Hi autem Legati in triplici sunt differentia, alius namque est Legatus natus, alius missus dicitur, alius denique Legatus de Latere appellatur, meminit huius diuisionis text. *in cap. pen. ubi Abb. n. 1. hoc tit.* text. melior *in cap. 1. eod. tit. lib. 6.* explicant Flamin. de *resignat. benefic. lib. 7. quaest. 13. ex n. 2.* Valer. Reginald. in *praxi fori penit. lib. 30. tract. 3. numero 237. cum seqq.* Zech. d. tit. de *statu Illustr. Leg. num. 2.* Sebast. Caes. de *Ecclesiastica hierarchia part. 1. disp. 3. de Legat. §. 1.* Primus dicitur ille, cui annexus est honor Legationis, eo quod perpetuò cohaeret dignitati ipsius, tradit in specie Abb. d. *num. 1.* prout est Archiepiscopus Cantuariensis, & alij, qua facti Episcopi statim Legati appellantur, probat text. *in d. cap. 1. hoc tit.* Secundus est qui à Sede Apost. specialiter mittitur, vt in aliqua prouincia Legationis officium exerceat, & licet olim qui mittebantur semper essent de latere, vt colligitur ex text. *in d. cap. decreto, & d. cap. 1. 84. dist. ex post facto* tamen ille, qui mittebatur, & mittitur ad huiusmodi officium exercendum Cardinalatus honore non fulget ex necessitate missionis exemplum est in Nuntiis Hispaniarum, & aliarum prouinciarum. Tertius est Cardinalis qui ab Apostol. Sede Legatus constituitur, & appellatur de latere, eo quod primus est corporis Pontificis, cap. *Ecclesia Senatum habet 16. q. 1.* tradunt Abb. in *d. cap. 1. n. 8. hoc tit. & in c. ad eminentiam, n. 1. de sent. excom. Mantua dialog. 124.*

6 Omnes isti Legati in suis prouinciis non delegatam, sed ordinariam exercent iurisdictionem, & potestatem, ex text. *in c. 2. hoc tit. lib. 6.* & vti tales ex vi

Tom. I.

suae Legationis non Apostolica auctoritate, sed potius suae Legationis auctoritate ordinaria procedere, vt probat text. *in c. bi qui, & in c. si Apostolica*, ibi, *Sua Legationis auctoritate*, ubi Domin. n. 1. & *in c. si eum, de prabend. lib. 6. Abb. in d. c. 1. n. 1.* Nec contrarium dixit text. *in d. c. decreto*, siquidem agit de causa criminali contra Episcopum, quae attento iure ad Legatum non pertinet, iuxta text. *in cap. felix 15. q. 7.* & ideo eidem Legato in eo text. speciali commissione cognitio demandata est. Sic sane praedictorum Legatorum officium non differt, aduertit Abb. in *c. volentes, n. 1. hoc tit.* eo quod omnes in prouinciis sibi decretis Pontificis Vicarij sunt, seu vices gerentes, probat text. *in d. c. 1. hoc tit.* tradit Mendos. in *reg. de infirmis q. 19. n. 3.* qua de causa non tanquam personam Pont. representantes, sed tanquam eius locum tenentes, c. *venerabili 3. ibi, Vices nostras, de consuetud.* quatenus Legatione ipsam exercent aequaliter honorandi sunt c. *vlt. ibi, Tanquam*, & c. 93. dist. addit Abb. in *d. c. 1. n. 2.*

Nec oppositum dicunt iura, quae Legatum de latere ab aliis distinguere solent, veluti multo maiori tam honoris, quam potestatis prerogatiua praestantes, siquidem praedicta iura attentis nouioribus constitutionibus loquuntur, quibus Legationis officium in Legatis de latere, nō quidem maius quam in aliis, sed tantummodo plenum existit, sicut fuit in sua natura in qua permanet. In aliis verò non in sua natura permanens per easdem constitutiones nouas, definit esse plenum, & restrictum exiit, & ex vsu in Ecclesia observatio probat text. *in c. si Abbatem §. fin. de elect. lib. 6.* Vnde & Legati omnes quatenus tales ex vi suae Legationis attento iure quo sua natura permanebant, concurrunt cum reliquis Ordinariis in conferendis beneficiis, sicut in aliis aduertit Praepos. in *c. vlt. n. 1. de coniug. seru. Imol. in c. dilectus, n. 1. hoc tit.* & licet text. *in d. c. literas, de suppl. negl. Pralat.* dicat auctoritate Pontificis fuisse factam prouisionem, patet auctoritate nostra, hic tamen contigit, quia licet per rescriptum de quo ibi suscitaretur potestas Legati, cum tamen in eodem rescripto adiectum fuisset, vt auctoritate Pontific. Legatus faceret prouisionem, non ordinaria ipsius Legationis, sed delegata à Pontifice censetur talis prouisio.

SYMMARIVM.

- 1 Legatus Papae etiam per simplicem querelam adiri potest.
- 2 Legatus tantum potest in sua Prouincia, quantum Ordinarius in sua diocesi.
- 3 Metropolitanus non potest per querelam adiri, cum tantum sit iudex ex appellationis causa.
- 4 Legatus etiam de Latere absque speciali mandato Papae Episcopum deponere non potest.
- 5 Legatus de Latere est Cardinalis.

C A P. Cū non ignoretis. I.

Alex. III.

Legatus Papae non solum per appellationem, sed etiam per simplicem querelam adiri potest, quia in sua prouincia gerit vices Papae. Colligunt ex Ordinar. Abb. antiq. Zabarell. Collect. Bellam. Ioan. Andr. Innocent. Imol. Anania, Bald. Barbat. Henric. Panorm. Hostien. Butr. Anchar. Guid. Papae, Alex. de Neno, Viuian. in *rationali primi libri iur. Pontificij*, pag. 412. Alagona in *compend. iur. Canon.* pag. 150.

Y 3

semissi

herissuē Casal. in annot. & Ximen. in concord. p. 1. re-
fertur ab Ant. Aug. collect. 1. Decret. lib. 1. tit. 2. cap. 1.
& est post Concil. Lateran. part. 44. cap. 3. & part. 50.
cap. 66.

2 Collige ex text. quod tantum potest Legatus in
sua Provincia, quantum Ordinarius in sua diocesi,
Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 25. n. 15. & circa dispen-
sationes Couar. de sponsalib. part. 2. cap. 6. §. 10. n. 11.
Henric. in summ. lib. 12. cap. 3. in princ. Sanch. de matrim.
lib. 8. disp. 9. n. 25. Aloyf. Ricc. in collect. decis. p. 5. collect.
1974.

3 Vel querimoniam perveniunt.] Notatur ad hoc quod
Metropolitani non potest per querelam adiri, cum
tantum sit iudex appellationis causa, vt per Couarr.
pract. c. 9. n. 2. & vide quæ infra habentur ad cap. 8. in
verbo, suspendatur, in fine, de officio Ordin.

4 In gloss. Legationis, ibi, Cum hoc Papa sibi specialiter
reservaverit. Notatur ad hoc quod Legatus etiam de
Latere absque speciali mandato Papæ Episcopum de-
ponere non potest, Gemin. in c. Primates 2. q. 1. & in
c. renouantur 22. disp. Ego ipse de officio & potest. Episcop.
p. 3. alleg. 1. n. 3.

5 In ead. gloss. ibi, Imò Legatus missus de Latere Papæ,
puta Cardinalis. Notatur ad hoc quod Legatus de La-
tere est Cardinalis, vt per Menoch. conf. 190. n. 14. Fla-
min. de resign. lib. 8. q. 13. n. 5. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 5.
c. 27. q. 2. Villadieg. tract. de legato, p. 1. q. 3. Erasim. à
Cochier. de iurisd. Ordin. in exemptos, p. 2. q. 1. n. 1. Nau.
de datis, not. 6. n. 11.

S V M M A R I V M.

1 Legatus non potest se ingerere causæ alteri à Papa
specialiter delegatæ, & n. 2. nisi vt sententiam in-
stam confirmet, vel exequatur, secus ex magna
causâ, vt n. 4.

3 Papa vbi apposuit manum, Legatus de Latere non
potest se intromittere.

5 Delegatus non potest se intromittere de causâ delega-
tâ, quia censetur priuatiuè commissâ.

6 Par in parem non habet imperium.

7 Legatus si non vult, non potest compelli suam senten-
tiam exequi.

C A P. Studuisti. II. Cælest. III.

1 Legatus non potest se ingerere causæ alteri à Papa
specialiter delegatæ, nec potest impedire proces-
sum, vel sententiam irritare, sed potest illam, si ratio-
nabiliter est lata, confirmare, & exequutioni manda-
re, quia mandatum speciale derogat generali. Colli-
gunt ex Ord. Abb. antiq. Zabar. Collect. Bellam. Ioan. Andr.
Anan. Butr. Henric. Imol. Anch. Panorm. Innoc.
Hof. Bald. Barbat. Guid. Papæ, Alex. de Neno, Viu.
in ration. primi libri iur. Pontif. pag. 413. Alagona in com-
pend iuris Canon. pag. 150. remissuè Ximen. in concord.
p. 1. refertur ab Ant. Aug. collect. 2. Decret. lib. 1. tit. 13.
cap. 1.

2 Hanc eandem concl. ex hoc text. desumunt Læli.
Zech. de Republ. Ecclesiast. tit. de statu Illustriss. Legati,
n. 4. prope finem, vers. undecimo, Daniel Venator. in
analyfi methodica iuris Pontificij, lib. 1. tit. 1. axiomate 1.
Nam vbi Summus Pontif. apposuit manum, Legatus
de Latere non potest se intromittere, Gig. consil. 86.
numero 2. Honded. conf. 27. n. 15. vol. 2. quos refert, &
sequitur Anton. Monach. Bonon. decis. 119. num. 40. Ex
magna tamen causâ potest Legatus generalis se in-
tromittere de causâ commissâ delegatæ, illique in-

hibere ne de ea cognoscat, vt per Tiraq. de penis
temper in presat. n. 34.

Alius, qui generalis in Provincia Legatus, &c.] No-
tatur ad hoc quod ideo Legatus non potest se intro-
mittere de causâ delegatâ, quia censetur priuatiuè
commissâ, vt per Cabed. Lusit. decis. 13. n. 6. p. 2. vbi
etiam secus dicit quando vtrique esset ordinaria, quia
tunc intelligitur cumulatiuè concessâ. Ratio verò
principalis decisionis ea est, quia cum delegato illa
causâ specialiter fuerit commissâ, ob id Legatus ex
generali commissione in ea se intromittere non po-
test, quia mandatum speciale generali detrahit, quo
fit vt cum cognitio illius causæ Legato subtrahita
fuerit, & in ea delegatus eo maior sit effectus, non
possit in eam quomodolibet se intromittere, ita Nar-
bona de appell. à Vicario ad Episcopum, p. 1. n. 152.

In gloss. Mandatum, ibi, Quia par in parem non ha-
bet potestatem. Rebuff. tom. 1. ad leges Gallie, tr. de euocat.
n. 46. Cotta in memorab. verbo, Par, Surd. conf. 47. n. 10.
& conf. 106. n. 12. & conf. 167. n. 16. Aloyf. Ricc. in col-
lect. decis. p. 5. collect. 1094. Sigism. Scacc. de appell. q. 2.
n. 10. Ioseph. Aldrete in alleg. iuris pro omnimoda Regul.
exempt. c. 4. n. 18.

In gloss. Confirmare, fin. ibi, Sed nunquid Legatus te-
netur ei obedire vt ipsam sententiam mandet executioni?
non videtur. Notatur ad hoc quod Legatus si non vult
non potest compelli à delegato suam sententiam exe-
qui, quamvis ipse delegatus Legato mandare possit,
vt eam exequatur, Marant. disp. 1. n. 5. nam delegatum
Pontificis in causâ sibi specialiter commissâ Legato
maiores efficit, per hanc text. resoluit Narbona de
appellatione à Vicario ad Episcopum, p. 1. n. 152. Vnde
Erasim. à Cochier. de iurisd. Ordinarij, in exemptis,
p. 2. q. 2. n. 22. resoluit Legatum beneficium conferre
non posse, quæ ad Episcopum collationem spectant iure
speciali, siue delegato, cum in isto casu maior &
excellentior sit ipso delegato.

C A P. Nisi specialis. III.

Innoc. III.

1 Legatus etiam Cardinalis non potest transferre
Episcopum ab vna Ecclesia ad aliam. Colligunt
ex Ord. Abb. antiq. Zabar. Collect. Bellam. Io. Andr.
Anan. Innoc. Barbat. Imol. Bald. Butr. Panorm. Guid. Pa-
pæ, Viu. in ration. primi libri iur. Pontif. pag. 413. Ala-
gon. in compend. iur. Can. pag. 150. remissuè Ximen. in
concord. p. 1. & 2. refertur ab Ant. Aug. collect. 3. Decret.
lib. 1. tit. 19. c. 1.

Quam ad personam tuam habuimus.] Notatur ad hoc
quod potest iudex penam minuire ob amicitiam,
quam cum persona delinquentis habuit, vt per Ti-
raq. de penis temper. causâ 16. à princ. & causâ 51. n. 20.
Clar. in praxi §. fin. q. 60. n. 35.

Ad Panormitanam de facto transferre.] Aduerte
quod solus Sum. Pont. Ecclesiam Cathedralē di-
uellit, coniungit, aut alia ratione mutat. Ego ipse de
officio & potest. Episcop. p. 3. alleg. 50. n. 5.

S V M M A R I V M.

1 Legatus etiam de Latere ex generali legatione non
potest transferre Episcopos, vel vnâ Ecclesiam
Cathedrali alteri subicere, vel duos Episcopatus
venire, vel vnum diuidere.

2 Casus Papa reservati non transiunt in generali Le-
gati de Latere commissione.

3 Reser

- 3 *Reservata principi non veniunt in generali commissione.*
- 4 *Ambigua dispositio est intelligenda iuxta id quod consuevit fieri.*
- 5 *Legatus de Latere non venit appellatione Romani Pontificis.*
- 6 *Verba Can. Si quis suadente sunt promulgata sententia.*
- 7 *Legatus de Latere potest omnia, quæ non sunt reservata Sedi Apost. in signum specialis privilegij.*
- 8 *Apostolica Sedes, quæ specialiter reservavit, non transferuntur in generali demandatione.*
- 9 *Appellatio omisso medio ad solum Papam interponitur.*
- 10 *Legatus de Latere potest cognoscere de causis contra exemptos.*

CAP. Quod translationem. IV.

Legatus etiam Cardinalis non potest subicere unum Episcopum alteri, nec unire duos Episcopatus, nec unum dividere, quia commissio generalis non extenditur ad ea, quæ in signum privilegij singularis tantum sunt reservata Papæ: potest tamen absolute excommunicatos etiam ob violentas manus iniectiones in clericos. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Zabari. Collect. Bellam. Ioan. Andr. Imol. Anan. Barbat. Bald. Butr. Panorm. Host. Henric. Guid. Innoc. Viu. in ration. 1. lib. iuris Pontif. pag. 413. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 150. remissive Casal. in annot. & Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Anton. Aug. Collect. 3. Decret. lib. 1. tit. 19. c. 2.

Sunt tantum Summo Pontifici reservata.] Notatur ad hoc quod in generali Legati à Latere commissione non transeunt casus Papæ reservati, Nicol. Boër. in tract. de potestate Legati à Latere, n. 24. Erasmi. à Cochier. de iurisd. Ordinarij in exemptos, p. 1. q. 3. n. 13. & part. 4. q. 3. n. 1. in generali enim commissione non veniunt reservata Principi, ut per Peregrin. de iure fisci, lib. 1. tit. de iis, qui iura fiscalia habent, n. 7. Quæ autem soli Summo Pont. reservata reperiantur in unum collegi ego ipse de officio, & potestate Episcopi, part. 3. alleg. 50. n. 3. cum multis seqq.

Sæpe fuisse Legatis indulta.] Notatur ad hoc quod ambigua dispositio est intelligenda iuxta id quod consuevit fieri, ut per Cou. lib. 1. var. c. 15. n. 9.

Generalis sit tibi commissio legatio, &c.] Notatur ad hoc quod Romani Pontificis appellatione non venit Legatus de Latere, ut per Guttier. de iuram. confirmat. part. 1. c. 52. n. 6.

In Canonem promulgata sententia.] Notatur ad hoc quod verba Canon. si quis suadente, sunt promulgata sententiæ, ut per Tirac. in l. si unquam, C. de renocandis donat. verbo, reventatur, n. 150. Coriolan. Capucin. de casibus reservatis, part. 2. casu 3. n. 48. prope finem, pag. 500.

In gloss. Reservata. Notatur ad hoc quod Legatus à Latere potest omnia, quæ non sunt reservata Sedi Apost. in signum specialis privilegij, ut per Anton. Monach. Bononien. decis. 28. n. 11.

In ead. gloss. ibi, Ista omnia, quæ sibi specialiter Sedes Apostol. reservavit, in generali damnatione non transferuntur. Vide Perez l. 1. gl. 2. pag. 459. col. 2. ante med. tit. lib. 3. Ordin.

In ead. gloss. ibi, Ad ipsum solum omisiss mediis appellatur. Vide Narbonam de appellat. à Vicario ad Episcopum, p. 2. fundam. 1. n. 25. & citatos ad cap. si duobus, infr. de appellat.

In ead. gloss. ibi, *Ego credo quod potest cognoscere, &c.* 10 Notatur ad hoc quod Legatus de Latere potest cognoscere de causis contra exemptos, ut per Fr. Emman. q. Regul. tom. 2. q. 62. art. 1. Paril. cons. 28. n. 31. cum seqq. p. 4. Villard. in tr. de legato, p. 1. q. 8. n. 20. Erasmi. à Cochier. de iurisd. Ordinarij in exemptos, p. 2. q. 2. n. 7. Ratio est, quia licet sit de reservatis Papæ cognoscere de causis exemptorum, tamen singulare est & speciale quod Legatus à Latere habeat iurisdictionem in exemptos, cap. veniens, de verb. signif. in 6. c. si Abbatem, de elect. eod. lib. tum quia (ut inquit Io. Monach.) Papa eximendo à iurisdictione cuiuslibet Ordinarij non videtur eximere à potestate Legati de Latere, Nau. de datis & promissis pro iustitia, notab. 4. n. 10. vers. 2. per ea, quæ. Aduertendum tamen quod licet Legatus à Latere possit veluti Summus Pont. cognoscere de causis exemptorum, ut suprà ostendi, eximere verò non potest, quia nihil facere potest quod tendat in violationem iuris communis, Abb. in cap. fin. num. 1. cum addit. inf. de confirm. vili. Boër. in tr. de potestate Legati de Latere, n. 44. Villadieg. d. tract. p. 1. q. 9. n. 64. eximere autem & aduersatur iuri, c. omnes Basilica 16. q. 7. & plurimum præiudicat Ecclesiæ, Baron. annal. tom. 8. ann. 676. Pont. Adcoato, quare ita resoluit Erasmi. à Cochier. p. 1. q. 3. n. 13.

S V M M A R I V M.

1 *Legatus ex quo causam ad Superiorem remisit desinit esse index illius, & n. 2.*

CAP. Licet. V.

Legatus postquam transmisit causam Papæ examinandam cessat eius iurisdicção, nec est amplius iudex, & si quid faciat, est irritum. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Zabarell. Collect. Ioan. Andr. Bellam. Innoc. Host. Panorm. Imol. Anan. Butr. Bald. Barbat. Guid. Pap. Viu. in rational. prim. libr. iur. Pontif. pag. 413. Alagona in compend. iur. Can. pag. 151. remissive Ximen. in concord. p. 2. refertur ab Anton. August. collect. 3. Decretal. lib. 1. tit. 19. cap. 3.

Hanc eandem conclus. ex hoc text. desumunt Dan. Venator in analysi methodica iuris Pontificij, lib. 1. tit. 30. axioma 2. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 14. n. 8. D. Barbosa in l. eum, qui temere, §. fin. num. fin. ff. de iudic.

S V M M A R I V M.

- 1 *Legatus à Latere potest conferre beneficia iurisdictionis clericorum, & n. 2.*
- 3 *Legatus Sedis Apost. potest conferre beneficium absque Episcopi consensu.*
- 4 *Ius ad rem acquiritur per presentationem; per institutionem verò ius in re.*
- 5 *Inspatronatus pertinet clerico ratione proprii patronij dicitur seculare.*
- 6 *Inspatronatus illud dicitur Ecclesiasticum, quod fundatur ex bonis intuitu Ecclesiæ questis.*

CAP. Dilectus. VI.

Legatus Papæ confert beneficium vacans, licet illud spectet ad presentationem alicuius clerici. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Zabarell. Collect. Bellam. Ioan. Andr. Barbat. Hostien. Innocent. Bald. Panorm. Anan. Butr. Imola, Henric. Guid. Papæ, Viu.

in ration. primi libri iuris Pontif. pag. 414. Alagon. in compend. iur. Canon. pag. 151. remissive Calal. in an. 6. & Ximen. in concord. p. 1. refertur ab Anton. August. collect. 3. Decretal. lib. 1. tit. 19. c. 4.

2 Hanc eandem conclus. ex hoc text. desumunt Cou. pract. c. 36. n. 3. col. 3. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 5. cap. 19. quast. 2. Roch. de iurpatron. verbo, honorificum, quast. 3. num. 10.

3 Ne preiudicetur Prelato] Collige ex text. Legatum Sedis Apostol. posse conferre beneficium absque Episcopi consensu, vt per Gig. de pensio q. 6. num. 18. Mandol. in reg. 1. p. Cancel. q. 1. a num. 2. Gom. in reg. de non iudicando, numero 3. Rebuff. in praxi tit. de collat. num. 3.

Collige primò text. procedere etiam in beneficiis iurisp. Ecclesiastici, adhuc enim sine consensu patroni prædicta beneficia Legatus conferre potest, vt probant text. in præsent. & in cap. cum dilectus, de iurpatron. Resoluit Rochus de iurpatron. verbo, honorificum q. 3. num. 10.

Intellige secundò posse Legatum prædicta beneficia suæ collationi reservare iuxta formam, de qua in cap. præsent. versio, prohibemus, de offic. Legati lib. 6. Rota antiqua decis. 206. Calder. in cap. mandatum de rescriptis.

Intellige tertio text. non procedere in beneficiis quæ ad Episcopum tanquam delegatum spectant, in his enim Legatus se intromittere non potest, patet si expendas talem Legatum non posse concurrere cum Episcopo, in illis rebus in quibus Sedis Apost. delegatus existit, aduertit in specie Selua de benef. p. 3. q. 66. n. 4. Corral. de sacerdot. part. 2. cap. 1. num. 15. iunat reg. text. in cap. dudum, versio, nos igitur, de præbend. lib. 6. sic similiter in reservatis beneficiis Sedi Apost. non potest se intromittere, vt aduertit Gigas de personibus, q. 6. n. 19.

4 In glos. Plus iuris. Notatur hæc glossa cum sua addit. ad hoc quòd per præsentationem acquiritur ius ad rem, Abb. in c. cum Bartholdus, opposit. 2. infr. de re iudic. vbi Felin. col. 1. & 2. Rebuff. in tract. nomination. q. 4. n. 6. Flamin. de resignat. lib. 3. q. 23. num. 12. & lib. 7. q. 1. num. 95. Mar. Antonin. var. resolut. lib. 1. ref. 104. n. 23. Campan. in diuersorio iuris Canonici, rubr. 1. c. 16. n. 13. Seraphin. decis. 1238. n. 4. Zerol. in prax. Episc. part. 1. verbo, ius ad rem, Viv. in praxi iurispatron. part. 2. lib. 8. c. 9. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 15. §. 2. n. 1. Per institutionem tamen præsentatus acquirit ius in re, & maius ius consequitur ab instituyente, quàm à patrono, & pinguius habet Episcopus in beneficio, quàm patronus, Abb. in cap. in Lateranensi, infr. de præbend. Rot. de is. 11. num. 2. de iurpatron. in nouis, Flamin. dist. tract. lib. 10. q. 6. num. 2. Viud. cap. 9. num. 5. cum aliis citatis per me de officio, & potestate Episcopi p. 3. alleg. 60. num. 17.

5 In glos. In concessione, ibi, vtrum iurpatronatus pertineat alicui iure patrimonij sui, &c. Notatur ad hoc quòd iurpatronatus pertinens clerico ratione proprii patrimonij dicitur sæculare, vt per citatos à me ipso de officio, & potestate Episcopi, p. 3. alleg. 72. n. 126.

6 In ead. glos. ibi, si verò pertinet, &c.] Notatur ad hoc quòd illud dicitur iurpatronatus Ecclesiasticum, quòd fundatur ex bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis, vt per Rebuff. in tract. nominat. q. 8. num. 22. Cou. d. cap. 36. n. 5. vers. secundo, Flamin. de resign. lib. 2. q. 4. a num. 39. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 18. num. 5. Iurpatronatus confraternitatis laicorum, cuius confratres non induuntur, aut distinguuntur aliquo signo Religionis, & beneficium fuit à laico fundatum, & de bonis profanis, est laicale, vt per Felin. in tract. quando licet, column. 7. circa med. limit. 4. vers. induxit

etiam dictam decisio. m. Roch. de iurpatron. verbo iur. num. 18. q. 3. Cou. pract. c. 36. num. 8. Gambar. de potest. legati in confer. n. 414. Fusc. de visitat. lib. 1. cap. 14. n. 12. ad fin. Zerol. in praxi Episc. p. 1. verbo, iurpatronatus vers. 33. Azuedd. 1. num. 6. tit. 4. lib. 2. noua recap. Garc. de benefic. p. 5. c. 1. num. 604. circa fin. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 4. cap. 28. column. 1. versio, iurpatronatus est profanum, Cened. pract. & canon. lib. 1. q. 21. num. 11. quos refert & sequitur Rot. in Romana beneficiarius sancti Laurentij in Damaso 7. Februarij 1628. coram R. P. D. Duran.

Vtrum autem iurpatronatus Ecclesiasticum in laicos titulo oneroso permutationis cum auctoritate Apost. transfatum, destinat esse Ecclesiasticum, & efficiatur laicale? Affirmatiua pars quæ verior est, ex eo suadet, quia quemadmodum quando à principio iurpatronatus est laicale, & deinde transit in Ecclesiasticum, efficitur Ecclesiasticum, & illius naturam assumit, ex Abb. in cap. de Monachis n. 14. de probat. & in cap. 1. iurpatron. in 6. vbi Ioan. Monach. num. 4. Prob. in addit. num. 17. Rebuff. de nomin. quast. 8. num. 22. Crot. conf. 129. num. 15. lib. 3. Cardin. Seraph. decis. 1420. iunctis aliis citatis in collect. ad cap. porro 7. num. 3. de priuileg. ita etiam è conuerso videtur vt iurpatronatus exuat primordiale suam naturam, & dum transit in laicum, identidem efficitur laicale, vt in puncto arguit Borgnin. decis. 12. num. 6. part. 1. Attenditur enim persona, quæ præsentat, & quæ possidet ius præsentandi, & propterea illa est, ita etiam de terminatur natura ipsius iurpatronatus, Mohed. decis. 9. in fine, de iurpatron. Crescent. decis. 9. eod. tit. Achil. dec. 1. eod. etiam tit. Putz. decis. 90. lib. 3. & vulgatum est quòd si laicus ex iusto titulo, & cum solemnitate efficitur dominus, & acquirit bona Ecclesiæ, hæc bona non dicuntur amplius Ecclesiastica, sed assumunt naturam & qualitatem personarum, quibus ipsa bona coherant, & ideo efficiuntur in totum laicalia, & patrimonialia, latè Vasc. de success. creat. lib. 1. §. 20. num. 634. Surd. conf. 358. n. 6. cum seqq. ita vt ex illis etiam legitima detrahi debeat, vt per Peregrin. de fideicom. art. 36. n. 8. & dixit Rot. in Romana legitima 16. Decembris 1616. & 10. Martij 1617. coram Card. Sacro.

Non obstat quòd semper erit verum dicere hoc iurpatronatus fuisse fundatum ex bonis Ecclesiasticis & quòd hæc qualitas videatur inseparabilis etiam si transeat ad laicos, & propterea adhuc tanquam Ecclesiasticum sit reputandum, quia hoc verum est quando fuisset acquisitum titulo lucratiuo, tunc enim iurpatronatus suam originalem teneret naturam; at verò si laicus fuisset adeptus hoc iurpatronatus titulo oneroso mediante scilicet permutatione, & cum auctoritate Apostol. videtur effici penitus laicale, & illud quòd à laico in permutatione datum fuit Ecclesiæ, videtur succedere loco illius iurpatronatus Ecclesiastici, alioquin in valde exorbitanti lucro versaretur Ecclesiæ, si vtrumque, nempe & quod illa dat, & quod recipit, Ecclesiasticum remaneret, quod alienum omnino videtur ab honestate Ecclesiæ, quæ Religiosa, cultrix, & anctrix est iustitiæ.

S V M M A R I V M.

- 1 Legatus in pluribus locis potest in quolibet illorum iurisdictionem suam exercere.
- 2 Legatus seu pates in duabus Prouincijs propter connexitatem territoriorum potest expedire negotia vnius Prouinciæ in alia.
- 3 Legatus causam inchoatam finire non potest per regressive Prouinciæ.

4 Episcopus

- 4 Episcopus extra diocesim commorans potest beneficia sua diocesis vacantia conferre.
 5 Beneficia conferre est actus voluntariae iurisdictionis.
 6 Episcopus extra propriam diocesim an possit excommunicare, vel absoluer, ostenditur.
 7 Iurisdiclio extra territorium exerceri non potest quando requiritur cognitio causae iudicialis.
 8 Episcopus non potest erigere tribunal extra diocesim suam.

CAP. Nouit. VII.

1 Legatus pro multis locis potest in vno loco exercere suum ius circa causas pertinentes ad alia loca suae legationis. Colligunt ex Ord. Abb. antiq. Zabar. Collect. Bellam. Henric. Host. Ioan. Andr. Panorm. Barbat. Bald. Butr. Imol. Anan. Innoc. Guid. Papae, Viu. in ration. primi libri iur. Pont. pag. 415. Alagon. in compend. iur. Canon. pag. 151. remissive Casal. in amon. & Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Anton. Aug. collect. 3. Decret. lib. 1. tit. 19. c. 5.

2 Collige ex text. Legatum seu Praesidem in duabus provinciis propter connexitatem territoriorum posse expedire negotia vnius Provinciae in alia, vt per Capic. decis. 151. n. 8 & 9. Dan. Venator. in analysi method. iuris Pont. lib. 1. tit. 50. axiomatic 5. Gambar. de officio Legati extra Provinciam, n. 2. & 3. Azor. inst. moral. p. 2. lib. 5. c. 2. g. 4. vers. quere. Ratio est, quia illae duae Provinciae, in quibus constituitur vnus Legatus, quoad ipsum censentur vna Provincia, licet alias sint distinctae quoad limites & praerogativas, Innoc. hic, quem sequuntur Host. n. 13. & Ioan. Andr. n. 5. vers. & nota, Bart. in l. vlt. c. de Metropol. Beryt. n. 11. vbi Rebuff. las. in l. vlt. n. 9. ff. de iurisd. omni. iudic. Ego ipse de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 54. n. 131. Hinc iudex competens in duobus territoriis, & in vno existens, in quo non fuit factum delictum, potest cognoscere de eo commissio in alio territorio, dummodo sit ex illis duobus sibi subiectis, vt tenent Azeved. l. 1. n. 10. tit. 16. lib. 8. noua recap. vbi hoc intelligit procedere dummodo executio sententiae fiat in loco territorij illius, vbi fuit commissum delictum.

3 Nondum tamen fuerat terminos sua legationis egressus. Ergo per regressum Provinciae non potest Legatus causam inchoatam finire, vt per Flamin. de resign. lib. 1. q. 11. n. 4.

4 In gloss. Terminos, vnic. ibi, Item extra diocesim potest conferre beneficia. Notatur ad hoc quod Episcopus extra diocesim commorans potest beneficia sua diocesis vacantia conferre, vt per Conar. lib. 3. var. c. 2. n. 8. Cofim. in pragmat. sanct. tit. de collar. verbo, iurisdiclio, fol. 181. Menoch. de arbit. lib. 1. g. 43. n. 19. cum segg. Rebuff. in tract. nominat. g. 14. n. 27. Flamin. de resignat. lib. 7. q. 14. n. 23. cum segg. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verbo, beneficia, §. 9. Gonzal. ad reg. 9. Cancel. gloss. 6. 2. n. 2. cum segg. nam conferre beneficia est actus iurisdictionis, sed voluntariae; Gonzal. §. 4. proem. num. 27.

5 In ead. gloss. ibi, Ad hoc dicas quod nullus iudex potest excommunicare, vel absoluer extra suam Provinciam, & c. Notatur ad hoc quod Episcopus extra propriam diocesim non potest excommunicare, vel absoluer, quod intelligitur quando iudicialiter, sedendo scilicet pro tribunali, & cum causae cognitione, censuras fert, vel ab eis absoluit, sine causae vero cognitione, & non sedendo pro tribunali potest ligare, & absoluer, cum tunc exerceat iurisdictionem voluntariam, & gratiosam, quae potest in alieno territorio

exerceri, Sayr. de censuris, lib. 1. c. 14. n. 4. Nau. in man. c. 27. n. 5. Auil. d. tract. de censur. p. 2. c. 3. disp. 1. dub. 1. Bonacina eod. tract. disp. 1. q. 1. puncto 11. n. 4. Zerola in praxi Episcop. p. 1. verbo, absolutio, §. 7. Fr. Lud. Mirand. in manuali Pralat. tom. 2. q. 3. §. art. 8. concl. 2. Fr. Emman. q. Regul. tom. 2. q. 19. art. 1.

In ead. gloss. ibi, Sed ea, quae causae cognitionem desiderant, debent fieri iudice sedente pro tribunali. Notatur ad hoc quod quando requiritur cognitio causae iudicialis, nequit iurisdiclio extra territorium exerceri, vt per Sanch. de matr. lib. 3. disp. 19. n. 9.

In ead. gloss. ibi, Sed in aliena diocesi non potest sedere pro tribunali. Notatur ad hoc quod Episcopus non potest erigere tribunal extra suam diocesim. Ego ipse de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 80. n. 8.

SUMMARIUM.

- 1 Legatus de Latere praesente minor legatus executionem sui officij dimittere debet.
- 2 Legatus primus non videtur reuocatus per creationem secundum.
- 3 Legatus de Latere dicitur maior omnium in Provincia post Romanum Pontem.

CAP. Volentes. VIII. Greg. IX.

1 Legatus de Latere praesente minor legatus, v. g. Provinciae officium suum exercere non potest. Colligunt ex Ord. Abb. antiq. Collect. Bellam. Zabar. Ioan. Andr. Anan. Guid. Papae, Host. Innoc. Butr. Panorm. Imol. Bald. Barbat. Henric. Viu. in ration. primi libri iuris Pont. pag. 415. Alagon. in compend. iur. Canon. pag. 151. remissive Ximen. in concord. p. 1.

Notatur hic text. ad hoc quod per creationem secundi Legati non videtur primus reuocatus, vt per Boer. decis. 347. n. 5.

De Latere nostro, & c. Quia Legatus de Latere dicitur esse maior omnium in Provincia post Romanum Pontificem. Franc. in cap. si Abbatem, de elect. lib. 6. Iacob. de Grassis in aureis decision. lib. 2. cap. 49. num. 58.

SUMMARIUM.

- 1 Legatus non de Latere non potest absoluer excommunicatos ob iniectionem manuum in clericos.
- 2 Legatus de Latere an possit absoluer ab excommunicatione, quam quis contraxit, eo quod violentae manus in clericum inieceris.
- 3 Condemnare qui potest non potest absoluer si diuersa subsit ratio inter potestatem condemnandi, & absoluerendi.
- 4 Legati a Latere solummodo sunt Cardinales.
- 5 Cardinales sunt pars corporis Papae.
- 6 Cardinalium officium est assistere Papae, & ideo tenentur residere in Curia.

CAP. Excommunicatis. IX.

1 Legatus non de Latere non potest absoluer excommunicatos ob iniectionem manuum in clericos etiam in sua provincia, & circa sibi subditos, nisi eis specialis potestas concedatur a Papa. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Zabar. Collect. Bellam. Ioan. Andr.

Andr. Anania, Butr. Henric. Imola, Bild. Panorm. Innoc. Host. Barbat. Guid. Papæ, Xime. Toletanus in concordantiis utriusque iuris cum legibus Castellæ, p. 1. Viu. in ration. primi libri iur. Pontif. pag. 416. Alagona in compend. iur. Canon. pag. 151.

² Qui de ipsius Latere non mittuntur.] Ergo Legatus de Latere potest absolvere ab excommunicatione, quam quis contraxit eo quod violentas manus in clericum iniecerit, ut per Jacob. de Graffis in aureis decisionibus, lib. 2. c. 49. n. 38. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 5. c. 32. q. 6. ubi ampliat, etiam si atrox sit iniuria, vel lætio enormis.

³ Et qui Ecclesiarum suarum, &c.] Notatur ad hoc quod condemnare qui potest, non potest absolvere si diversa subsit ratio inter potestatem condemnandi, & potestatem absolvendi, ut per Menoch. de arbit. lib. 1. q. 43. n. 16.

⁴ In gloss. Commissum, ibi, Sed quos dicemus de Latere Domini Papæ missos, &c.] Notatur ad hoc quod solum Cardinales Legati sunt à Latere, ut per Specul. de Legat. §. sequitur, n. 1. & 2. Boët. de potest. Legati à Latere, n. 12. Gom. ad reg. Cancel. de infirmis resign. q. 1. post princ. Azor. d. lib. 5. c. 27. q. 2. Erasmi Cochier. de iurisd. Ordin. in exemptos, p. 2. q. 2. n. 5. ubi n. 6. cum Roch. in de consuetud. n. 32. resolut. concessionem factam Cardinalibus Legatis à Latere non extendi ad alios Legatos de Latere non Cardinales, quippe quod aliquoties Sum. Pont. mittit inferiorem, adiecta in eius facultatibus hac clausula, cum potestate Legati à Latere, quæ de stylo Curie Rom. consuevit adici mandatis Legatorum, qui fimbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo mandatum vine vocis oraculo receperunt, Specul. d. §. sequitur, in princ. Host. in sum. de Legato, post princ. Gom. d. q. 3. id quod ita inolevit propter reverentiam sanctæ Sedis, cui meritis honos exhiberi non potest.

⁵ In ead. gloss. ibi, Quia ipsi pars corporis Domini Papæ dicuntur. Notatur ad hoc quod Cardinales sunt pars corporis Papæ, ut per Monet. de decim. c. 9. q. 3. num. 114. quia eorum officium est assistere Papæ.

⁶ Flamin. de resign. lib. 2. q. 1. n. 34. & lib. 7. q. 12. n. 14. & ideo tenetur residere in Curia apud Summum Pont. Flamin. lib. 1. q. 10. num. 9. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloss. 24. n. 113. Camill. Borrel. in summa omnium decis. tit. 10. n. 8. & non possunt ab ea recedere sine eius licentia, Flamin. d. q. 10. n. 27. Gonzal. d. gloss. 24. n. 124.

S V M M A R I V M.

- 1 Statuta Legati durant etiam legatione finita, finitur tamen sui delegati iurisdictione si citatio non præcessit.
- 2 Legati Papæ statuta perpetua facere possunt.
- 3 Ordinationes factæ ab Episcopo in Synodo diocesana sunt perpetua.
- 4 Citatio partis sufficit ut res desinat esse integra.
- 5 Legatorum Indulgentia sunt perpetua.
- 6 Legati an & quando possint concedere indulgentias remissive.

C A P. Nemini. X. & fin.

¹ Statuta Legati Papæ sunt perpetua, & durant in Provincia etiam post suum discessum, & finita legatione. Item si delegavi causas, & ante discessum non præcessit citatio, expirat iurisdictione delegati, si præcessit non expirat. Colligunt ex Ord. Abb. antiq. Zabab. Collect. Ioan. Andr. Bellam. Innoc. Henric.

Host. Panorm. Imola. Anan. Butr. Bald. Barbat. Guid. Papæ, Viuian. in ration. primi libri iur. Pontif. pag. 417. Alagona in compend. d. iuris Canon. pag. 152. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2.

Probat hic text. Legatos Papæ statuta perpetua facere posse, ut per Fr. Emman. q. Reg. tom. 2. q. 97. art. 1. vers. circa primam. Sic etiam edicta seu ordinationes factæ ab Episcopo in Synodo diocesana sunt perpetua, & non expirant morte conditoris, gloss. verbo, statuto, in c. vi. animarum, de consuet. lib. 6. Zerol. in pract. Episc. p. 1. verbo, edicta, §. 3. Ego ipse de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 93. n. 25.

Citatio non præcessit.] Notatur ad hoc quod partis citatio sufficit ut res desinat esse integra, ac perpetuari dicatur iurisdictione, ut per Marant. de ordin. ind. p. 4. dist. 5. an iudicium sit ordinarium, vel delegatum, n. 6. Gregor. 21. in fine, tit. 4. p. 3. Dan. Venator in analysi methodica iuris Pontif. lib. 1. tit. 30. Axiom. 3. post Archidiacon. Domin. Prob. Cardin. Abb. Imol. Dec. Calder. Butr. Roman. Bald. Angel. & alios hanc opinionem dicit probabiliorē Sanch. de marian. l. 8. disp. 18. n. 10. vide quæ dixi ad c. gratum, 20. supra de officio deleg.

In gloss. Statuta. Notatur ad hoc quod Legatorum indulgentia sunt perpetua, ut per Angel. verbo, indulgentia, §. 6. Silu. eod. verbo, n. 16. Coriol. de casibus reservatis, p. 1. sect. 2. art. 8. n. 6. Paul. Comit. resp. moral. lib. 1. q. 107. n. 2. ubi etiam resolut. quod Indulgentia durant post mortem concedentium, & citat Nau. in tract. de subleat & indulgent. notab. 31. n. 25. Et Legati an, & quando possint concedere Indulgentias in Provincia sibi commissa, dubium est in quo ad hanc gloss. & text. se remittit Greg. Lop. gloss. in fin. l. 45. tit. 4. p. 1. sed vide Nau. in c. placuit, n. 164. de penit. dist. 6. Gambac. de officio Legati, lib. 8. tit. quid possint Legati circa Indulgentias, nouissime D. Iul. Lauor. in suo tract. de Indulg. & Indulcat, p. 2. c. 11. n. 16.



De Officio Iudicis Ordinarii.

TIT. XXXI.

S V M M A R I V M.

- 1 Doctores referuntur super hanc rub. scribentes.
- 2 Ordinarii in hac rubr. dicuntur illi omnes, qui licet extra ordinem, id est, contra ius ordinarium deputentur, constituti tamen sunt cum propria, non aliena iurisdictione cui præsumunt.
- 3 Index ordinarius definitur ut sit ille, qui iure sui officij dignitatis, vel magistratus iurisdictioni, seu iuri dicundo præest.
- 4 Ordinarii iudicis de essentia est quod iurisdictionem suo iure, non alieno beneficio habeat.
- 5 Ordinarii indices dicuntur iurisdictionem habere suo, & sic propriam appellant.
- 6 Ordinarius ut dicatur index non satis est iurisdictionem habere, sed oportet ita constitutam habere ut e dem iurisdictioni præsit.



UPER hanc rubr. scripserunt Bellam. Ioan. Andr. Imola, Anania, Panorm. Butr. Zabab. Barbat. Bald. Dec. Papæ, Alciat. Ioan. de Londris in breuario sanctorum Canonum, fol. 165. Guillelm. Durand. in speculo iuris lib. 4. sub hoc tit. & in breuario iuris Canon. fol. 34. Petr. de Rauenna in compendio iuris Canonici.